Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1619
Quelle:
Copyright:

dyacono luthomiczl. in dicta nostra ecclesia pragen. Secretario nostro, Johanne de Duba sancti Georgij in Castro, Nicolao de Znoyma Sancti Apollinaris pragen. Ecclesiarum Canonicis publicis notarijs ac alijs multis circa premissa testibus fide dignis. Anno domini M°. Quadringentesimo Decimo Tercia Indictione. Atque haec omnia testimonio Notarii *Petri nati quondam Mathie de Mokrsko Clerici Cracouien. Dyoc.* corroborantur. Subscriptum: *Finitus est ille libellus M. CCCC^mo^. XVII. In vigilia Sancti Andree Apostoli.* Primaria haec ad nascentem in *Bohemia Wiclefismum* Documenta defuisse videntur Editoribus Operum *Johannis Hussi*, qui quidem in iis adhuc post tabulam latet.

VI. *fol. ult.* p. 2. adscripta est *Stephani Carth.* nostri Epistola ad amicum *Wilhelmum Kortelongensem* Canon. *Olomuc.* qua Scriptum quoddam, quod *Wilhelmus* ab eo concinnari desideraverat, comitatur, eumque oculis laborantem solatur. Scripti materies non exprimitur; enarrantur vero *Stephani* Lucubrationes *l. cit.* a *Pezio.* Dimidium praesentis Epistolae alterum iterum *fol.* 247. quaerendum est. Sed neque ibi finitur.

DCLXXXVI.

Codex chartaceus lat. Sec. U. 108
partim XIV. partim XV. Folior. 428. 4. per duas columnas exaratus et rubricis distinctus continet I. absque inscriptione Doctrinam de Moribus versu leonino conclusam hoc initio:

Cum nihil utilius humane credo saluti
Quam morum nouisse modos et moribus uti
Quod minus exequitur morosi dogma kathonis
Supplebo pro posse meo monitu racionis &c.

Morosi dogma Catonis Disticha *Dionysii Catonis* intellige; non enim Nostro *Morosus* δυσκολος est, sed ἠθικος. Atque hac adpellatione comparet ipsemet in pluribus Sec. XV. Editionibus, dictus *Facetus Morosus*, ut in *Quenteliana Coloniensi s. a.* 4. quae mihi adjacet, quacum collatus *Codex* jam uberior est, jam contractior, praesertim circa finem, cui subscriptum: *Explicit Morale Anno Domini MCCCC°* III. *in Die sancti Amandi confessoris hora uesperti-na.* Autor hujus Carminis a pluribus Didascalis fortassis interpolati, qui Seculo XII. vixisse videtur, si fides ejus Commentatori in *Edit.* praedicta habeatur, *fuit quidam regens parisieus, qui, ut dicitur, nominabatur Facetus.* Sed parum movet ejusmodi autoritas. Carmen ipsum cum *Catone* et aliis Ethicis iterum *Coloniae* 1520. 4. prelo subjectum est.

II. *fol.* 12. pernitida, sed verborum contractionis nimium studiosa Sec. XIV. manu sequitur

Com-